

ER,
EN,
ce
lifn.
euis
abit
un-
ta-
di-
o-
u-
ci-
u-
I.
REGULAS QUASDAM VITAE
ACADEMICAЕ

SUIS DISCIPULIS PRAESCRIBERE DENUO PERGIT
ET SIMUL

INSPECTORES SCHOLAE GRAUSSIIMOS

OMNESQUE
QUIBUS SCHOLA NOSTRA CURAE
CORDIQUE EST

VT

ACTUM VALEDICTORIUM
DIE XXI. APRILIS

ET

EXAMEN SCHOLASTICUM

DIE XXIII. APRILIS ET SEQUENTIBUS

INSTITUENDUM

FREQUENTARE BENIGNI VELINT.

PRECIBUS ENIXIS ADDITIS.

CONUOCAT

DANIEL TRAUGOTT MULLER
RECTOR SCHOLAE SCHNEEBERGENSIS.

LITTERIS CAROLI GUILIELMI FULDAE

A. R. S. C. 10CCXXXVII.

84

Programmata scholaſtica non ex raro, sed vtili arguento
metiri non pauci rei scholaſtice fatis périti confueuerunt.
Exinde nullus plane dubito, regulas academicas meis disci-
pulis tertia vice praescribere, certus plane atque persuasus, quod
hac ratione Penelopes telum non retexam. Et si verum est
adagium, quod omnino est verum, ab Erasmo (a) commemorato-
rum et enodatum: Δις καὶ τρὶς τὸ καλὸν, iterum ac tertio, quod
pulchrum, dicendum est; pulchrum est omnino et quam maxi-
me vtile iuuenibus ingenuis, nosse Syrtes, quas fugiant, et viam,
quam nauigent. Dum vero recordor, quod nuper et probita-
tis et diligentiae studium meis, quos in oculis fero, discipulis,
academiarum candidatis, potissimum commendarim; nunc stat
mihi de morum cultura academiae ciuii quam maxime necessaria et
conuenienti quaedam in medium proferre. Et quidem mihi cogi-
tanti, quo nomine mores politos, aptos et concinnos apellem, inci-
dit in mentem locus ille Terentianus, quando Gnatho Thrasonem
subridicule laudaturus, exclamat (b): Dixit' ego vobis, in hoc
esse Atticam elegantiam? id quod gallicarum feminarum
quondam ornamentum, Daceria, gallice ita effert (c): Ne vous
ai je pas bien dit, que Monsieur a toute l'elegance et toute la
politesse Attique? Scio equidem probe, quod in quibusdam
Terentii editionibus legatur Attica eloquentia, minime vero At-
tica elegantia. Ipse Erasmus (d) ex hoc loco evincere conatur,
quod Attica eloquentia in prouerbium abierit. Peruetustus et-
iam commentarius Terentii (e) locum iam laudatum ita explicat,
En verba illic occurrentia! atticam eloquenciam et hoc ironicos.
vt illa quae supra, atticam dicit veram atque germanam; quia
excus-

(a) in Chiliad. Adagiorum Centur. II. adag. 49. (b) in Eunicho Act. V. Sc. IX. v. 62. (c) in versione gallica Terentii l. c. (d) l. c. Cent. II. adag. 57. (e) adleretur hic liber in bibliotheca scholae nostrae, exigua quidem, sed peruetustis adeoque rari libris non plane carente. Hunc, quem loquor, commentarium forte ante annum 1480. typis exscriptum esse, varia testan-
tur indicia. Plane enim caret nomine auctoris, typographi, loci et anni, vt
et litteris initialibus ac vngcialibus. Graeca vocabula sunt omissa, spatio va-
cuo illis relicto. Letterarum initialium vicem quandoque habent rubro co-
lore scriptae, vel minores nigrae, eaeque typis expressae. Nonnullae vero
plane desunt.

exculcior eloquentia dicitur attica et summi oratores attici appellati sunt. Quicquid vero sit, a scopo Terentii abesse id non reor, quando legendum esse, Atticam eloquentiam, cum plurimis statuo. Constat enim inter omnes, quod Athenienses gloria humanitatis et elegantiae morum floruerint, aliosque Graeciae populos, urbanis et faceris moribus superarint. Cornelius Nepos Athenas vocat (f) ciuitatem, antiquitate, humanitate, doctrina praestantem omnes. Cicero etiam sub nomine Catonis ita alloquitur T. Pomponium Atticum (g): Noui moderationem animi tui et aequitatem: teque non cognomen solum Athenis deportasse, sed humanitatem et prudentiam intelligo. Sed quid multa? Atticam hanc elegantiam academias adituriis commendare constitui. Et haec sane istos, si quem alium, decet. Miseri sane illi essent, qui sola scientia contenti curam sui non haberent, nec viderent, quomodo suum commodum inde augere queant. Nonne vero ex omni eruditio[n]is genere morum cultura, vt aqua e scaturigine effluit? In errore sane longe maximo versantur ii, qui eruditum non nisi triste supercilium, vestitum immundum et squalidum(h), et rusticos mores decere credunt. Barba non facit philosophum, nec res iam commemoratae eruditum. Quin immo magno illi sunt dedecori. Gratiae seu Charites cum Musis arctissimo nexus coniunctas, et Musarum cultores Gratiarum quoque amore flagrare, semper crediderunt sapientiores. Euripides elegantissime hac de re canit (i):

Οὐ πάντομα τὰς χάριτας τὰς μάστις
Συγκαταμνύνει. ἡδίστη συζητία,
Μὴ ζάντι μετ' αἰμοστίας.

Et cui ignoti sunt versus Ouidii ita scribentis (k):

/// ingenuas didicisse fideliter artes,
Emollit mores, nec finit esse feros.

Quae verba alio loco ita eloquitur (l):

(2)

Arti-

(f) in Vita Attici Cap. III. (g) Libr. de Senectute Cap. I. (h) vide Menckei Charletaneriam Eruditorum, edit. germ. Lips. 1716, p. 99. seqq. (i) in Hercule Furente v. 673, seqq. (k) de Ponto Libr. II, Epist. VIII, v. 47. 48. (l) de Ponto Libr. I, Epist. VI, v. 7-8.

*Artibus ingenuis, quarum tibi maxima cura est,
Pectora mollescunt, asperitasque fugit.*

Quis itaque eorum, qui rebus optimis instituuntur, et ad humanitatem, omneque eruditionis genus informantur, abhorre vellet a moribus iucundis, ingenuis atque elegantibus? Ille profecto nomine eruditus indignus esset iudicandus. Nam cum studiis liberalioribus liberalis et decora vita conspiret, necesse est. Si vera sunt verba incerti auctoris in declamatione (m) in Sallustium; Ea demum, inquietis, magna voluptas est, Crispus Sallusti, aequalem et parem verbis vitam agere, ut omnis oratio moribus consonet: nemo certe negabit, quod vita cum studiis et vitae genere, quod elegimus, congruere debeat. Secedant itaque ad horridos atque in cultos Scythes, qui barbaris et aggressibus moribus se inquinant, studiosi eruditionis sectatores. Et quam, quaeso, ex barbaro vitae genere utilitatem haurient? Nullam profecto, sed tristissimum et irreparabile damnum. Non amorem, sed odium aliorum, et illorum in primis sibi conciliant, quorum fauorem ambiunt, quorum praesidio septi ad felicitatem suam adspirant. Quintilianus, quo, ad summum felicitatis fastigium Roma euecta sit, modo, descripturus, praeter alia dicit (n): Plura pene moribus, quam viribus vicimus. Idem effatum, nostris praesertim temporibus, studiosi sibi commendarum habeant, et non prius fortunam, quam se ipsos singant. Nam vere dictum esse, quotidiana docemur experientia: Sui cuique mores singunt fortunam (o). Ut mores sunt, ita respondeat fortuna. Quin immo, quod multi nostra aetate moribus lepidis atque compositis citius eam, ad quam adspirant, consequantur fortunam, quam eruditione magna quidem, at incomitis moribus contaminata, quotidie unusquisque facilime perspicere potest. Sed sufficere non opinor, si meis morum culturam, Atticamque elegantiam commendem, sed quosdam eiusmodi mores, quantum per paginae angustiam fieri poterit, speciatim etiam sum laudaturus, et a vitiis, istis contrariis, auocaturus. Modesti ideo sint atque verecundi, et perpendant, quod, licet

(m) quae falso tribuitur Ciceroni, et annexa est operibus Sallustii, ibique statim in principio. (n) in Declamat. III. Edit. Lugd. a. 1555. p. 42. (o) Cornelius Nepos in Vita Attici Cap. XL.

licet iamiam ad quamdam eruditionem peruenient, multum
adhus sit, quod nesciant. Nobilitatem enim, adeoque eruditio-
nem, mirum in modum ornat modestia. Caveant e contrario,
studio, quo fieri potest maximo, a superbia, ostentatione, ac
friuola sordidaque laudis cupiditate. Superbia mater est mul-
torum vitiorum, odii et inuidiae. Et qui fieri potest aliter?
Estι ιπτεροφανία κατέφεύοντι τις, πλὴν ἀντεῖ, τῶν ἄλλων (p).
Si itaque superbus omnes alias contemnit, et se illis longe pre-
stantiorem esse autumat, nomen eius odio atque acerbitate omnibus
esse, quiuis prudens primo statim intelliget intuitu. Lo-
lium istud infelicissimum impedit, quo minus speratos fructus
tales homines adipisci queant. Quaevis, pulchralicet et egregia,
despicatui habent illi Thrasones, adeoque vilia nimis ducunt,
quam ut inhinent istis. Sed quam iniuste agant, et quo nomine
digni sint, Theognis Megarensis iamdudum docuit, ita ca-
nens(q):

Oχτις τοι δοκεῖ τὸν πλοσίον ἴδμεναι ἔδειν,
Ἄλλ' ἀντας μῆνος ποιῆλα δῆρε' ἔχειν
κένος γ' ἀφρων ἐστι, νός θεβλαμμένος εὐθλῆς
Ἴσως γαρ πάντες ποιᾶται ἐπισάμενοι.

Multos nimia ambitione ductos premature viram auspicari
academicam, iam ostendi (r). Quare iam tantum addo, quod
amore sui ipsius commotus iuuenis facillime eo delabi possit, vt
perfectiones suas vel veras, vel imaginarias, quauis occasione,
pleno quasi ore, laudet et euehat, et se ea re omnium ludibrio
exponat (s). Nolo autem putes, me hac ratione omnem lau-
dis et gloriae cupiditatem reprehendere. Minime gentium!
Homo enim, qui academiae nomen dedit, se nullius pretii esse,
sibi persuaderi minime patiatur, sed potius egregiis factis et

X 3

virtu-

(p) Quae verba sunt Theophrasti in Characteribus Ethicis Cap. XXIII. (q) in
Sententiis v. 221 - 224. (r) primo Programmate de Regulis Vitae Acade-
miae, publie. d. 1. Maii ao 1746. Sed nuperime incidi in locum apprime
huc facientem, quem prolixiorem videoe in Baumeisteri, Gymnassi Gorlicen-
sis Rectoris et Ornamenti, Exercitationibus Academicis et Scholasticis, edit.
Lipz. et Gorlic. ao. 1741. p. 128. seq. (s) Quæstionem: Num propria laus
semper sordeat? curatus vide excusam apud Baumeisterum Litteratissimum,
I.e. p. 322. seqq.

virtutibus famae suae consulere, et se ab abiectis imperitiae plenis fecibus distinguere studeat. Humilitas ea, quae omnibus caret honoris stimulis, abiectum reddit animum, et nemo non tenuiter de homine, tali vitio infecto, iudicat. Et tandem de illo verba, quae Iustinus de exule Dionysio in medium profert (t), pronunciari iure suo possunt: Humillima quaeque tutissima existimans, in sordidissimum vitae genus descendit: non contentus in publico vagari, sed potare: nec conspicere in popinis lupanaribus, sed totis diebus desidere: cum perditissimis quoque de minimis rebus disputare, pannosusque et squalidus incedere: risum libertius praebere, quam captare. Verba haec Iustini omnia ea vitia continent, a quibus meos ad academias abeuntes abhorrere velim. Fugiant itaque compotationes in popinis, vbi saepius nec decori, nec honesti ratio habetur vlla, vbi amicorum fectorum vel perditorum sodalium cateruum conspiciunt, et quaevis mala ab illis docentur. Quae sententia est Theognidis de vino, dicentis (v):

Οἶνος τοι πίνειν πλάνυν, μακρὸν ἢν δέ τις αὐτὸν
Πίνει ἐπισταμένως, ἀνδρός, ἀλλ' ἀγαθός.

ad cuiusvis generis potum applicari potest; qui quidem bonus est, sed, si eo multo abutamur, mala gignere potest quam plura atque grauissima. Oriuntur inde, potissimum inter iuvenes, rixae, contentiones, conuitia, pugnae, certamina inter duo, et interdum caedes. Quantae poenae vero haec omnia subsequantur, quantopere tales iurgiosi et pugnaces homines tandem scelerum suorum conscientia angantur, et quantopere iracundia illi immutentur, et hominem quasi exuant; non sine damno maximo tandem aliquando experiuntur. Ή γὰρ ὥρην πάθος ἔχειν ὀξύτατον (x): at est etiam affectus fere omnium perniciosissimus. Et quid multa? Rixae et contentiones eruditos prorsus contaminant. O si cum Petro Puteano omnes facerent, de quo ex Nicolao Rigaltio D. Nicolaus Hieronymus Gundlingius sequentia verba annotauit notatu dignissima (y): Oderat hic rixas

(t) Libr. XXI. Cap. V. (v) L.c. v. 211. 212. (x) ut loquitur Euagrius in Libello, de octo Cogitationibus, qui annexus est Palladii Dialogo de Vita S. Iohannis Chrysostomi, edit. Lutet. Paris, a. 1680. p. 352. (y) in Otiorum Sectione III. p. 248.

rixa et iurgia, praesertimque inter eruditos, ac turpe esse dicebat, viros indubitate doctos famam vicissim suam rodere ac lacrare scriptis trucibus, tanquam vilissimos in plebe cerdones in angiportis sese luto ac stercore conspurcantes; et reliqua. Multa adhuc possent moneri; sed tribus, quod aiunt, verbis omnia hactenus dicta eloquar, et in compendium redigam. Curam itaque habeant animae, studiorum, fortunae et famae, sed curam etiam habeant valetudinis, et attendant, ne vagis libidinibus, vehementioribus animi passionibus, et mille aliis modis, et inter eos etiam nimio lucubrationis studio et studiorum intemperie varios morbos et mortem praematuram sibi accelerent. Non ubiuis obvia sunt, fateor, exempla eorum iuuenum, qui, ne valetudini noceant, a studiis aliquantisper serio sunt arcendi; sed extiterunt tamen nonnulli (z), et iam quoque existunt. Consido plane, fore, ut duo illi iuuenes, qui mihi haec omnia scribendi suppeditarunt ansam, regulas praescriptas pro omnibus viribus sint futuri atque expressuri; adeoque vitam academicam feliciter inchoatur atque ad finem perducturi. Primus eorum est iuuenis indole felici et laude digna diligentia praeclara quaevis minans,

ANDREAS MEISNER, Schneebergensis.

In lucem editus pauperibus, at honestis parentibus, et a puero impetu amoeno ad studia ducus, remoram sibi omnia impedimenta iniicere non passus est. DOPPERTI Litteratissimi, qui ei, cum sacro fonte lauaretur, testis adfuit, exemplum imitari sibi proposuit; neque eum propositi adhuc poenituit. Et probitate, et obedientia, et diligentia, tam Inspectorum et praceptorum scholae, quam quorumuis bonorum, fauorem sibi conciliauit. Profecit etiam ex voto meo in linguis latina et graeca; posuit eximia in re litteraria aliisque amoenis scientiis fundamenta, nec linguam hebraeam vt et gallicam tantum in transitu attigit. Multa cum laude igitur ad Musas Vitebergenses eum dimisit, et omni studio a Deo, egenorum praesidio, peto, vt Meissnero pauperissimo auxilio suo adesse, et Patronorum gratiam ipsi salutarem exercitare velit clementissime. Vale nobis ultimum acclamabit

carmis

- (z) de Eruditis studiorum intemperie mortem sibi accelerantibus Lipsiae ao. 1704. Dissertationem historicam habuit M. Gottfridus Boettnerus, cuius summa recente Hamburgi collecta Nova Litteraria Germaniae, ao. 1705. p. 16. seqq.

QK Ud 6109

X 366 M34

carmine germanico, si antea de Adoratione Veterum orationem latinam habuerit. Excipiet eum Iuuenis laudabili nisu et citato gressu ad honesta et egregia quaeuis tendens,

IACOB HENRICVS SCHVLZE, *Wilderfels. Misn.*

Patris quondam Maxime Reuerendi iussu, qui tribus fere abhinc annis praematura morte ipsi est ereptus, ante sex annos scholam nostram bene praeparatus accessit, et in ea ita se gessit, vt semper eo delectati simus. Nec frenum momordit, nec studia sua neglexit; sed, diligentia cum morum probitate coniuncta, litteras tanto percoluit studio, vt in linguis graeca, latina et hebraica, et aliis, schola quas docet, scientiis optime proficeret, et vt nunc multum elegantioris doctrinae in academiam referat, ac denique Mater Ornatissima multa bona de eo sibi possit polliceri. Experiatur, si quid mea vota valent, Fautores beneficos, et eorum ope ad propositum suum laude dignissimum tandem aliquando perueniet. Iam oratione latina explicabit dictum Socratis, qui, rogatus aliquando, quaenam sit iuuenum virtus? Nihil nimis, inquit (aa): et versibus germanicis omnibus, qui bene ei cupierunt, gratam suam mentem declarabit. Vtrique vero horum suorum et condiscipulorum nomine fausta quaevis versibus vernaculis apprecabatur Iuuenis, cui natura robustas corporis vires, non autem animi dotes denegauit,

ERNESTVS HENRICVS HAVSDOERFFER,

Chemnic. Misn.

recitata antea oratione latina, qua dictum Plinii (bb): Liberalitatem iucundiorem debitor gratus, clariorem ingratus facit; breuiter considerabit, Burckhardi memoriam renouabit, et Auditoribus Spectatissimis gratias ageret. Ad has igitur orationes audiendas, et examen scholae, quod paucis diebus praeterlapsis instituetur, frequentandum omnes *Litterarum Fautores* humanissime inuito, et policeor, scholae nostrae ciues eo semper vires suas esse collatueros, vt hanc benignitatem, ceu debitores grati, faciant iucundiorem. P. P. Schneebergae, die dominico Misericordias Domini, die XVI. Apr. A. R. S. CI^o I^oCC XXXXVII.

(aa) vti ea refert Diogenes Lærtius de Vita et Moribus Philosophorum, Libr. II. in Vita Socratis, edit. lat. Lugd. 20. 1541. p. 76. (bb) in Panegyrice Traiano dicto Cap. XXXXIII.



MS 18

MS